



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 48. Gramondi iudicium de hisce comitiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. cepto haud alio responso, nisi Regem  
 A.C. 1614. daturum operam, ut inspectis Ordinum  
 libellis, quamprimum fieri posset, re-  
 sponderetur: tandem vero die vigesi-  
 ma quarta Martii Cancellarius nomine  
 Regis eidem declarabat: *Libellos eorum  
 perlectos esse sedulo, sed tantam esse rerum  
 varietatem atque multitudinem, in plerisque  
 etiam contraristatem, ut tantillo tempore  
 pro rei exigentia excuti omnia non potue-  
 rint, cum igitur in præcipuis capitibus Re-  
 gis propensum animum, affectumque claris  
 signis perspexissent, non esse, cur de mino-  
 ribus dubitarent, constituisse Regem vendi-  
 tionibus, emptionibusque officiorum modum  
 ponere, aut si opus sit, morem eum omnino  
 tollere: quæsturam fiscumque secundum leges  
 constitutum iri: ad cetera Cancellarius  
 eos, quamprimum fieri posset, respon-  
 sum exspectare jubebat.*

## §. XLVIII.

*Gramondi iudicium de hisce comitiis.*

*Gramond.  
 ad ann. 1614.  
 pag, 76.*

Accepto hoc responso trium Ordinum  
 Delegati solutis comitiis ad sua re-  
 versi sunt, haud alio tamen emolumen-  
 to, nisi quod immensis sumptibus plu-  
 rimas proponere querelas potuerint,  
 nullum vero remedium, sed res magis  
 adhuc turbatas reliquerint, nihilque  
 pro utilitate populi, aut Regni salute,  
 recta-



rectaque administratione stabilitum viderint: Haud ingratum erit percipere criticum de his comitiis iudicium Scriptoris cujusdam Galli, Gabrielis Bartholomæi Gramondi, in sacro Regis Senatu Consilarii, atque in Parlamento Tolosano Præsidis, qui ita differit: *Legibus in hoc conventu sancitis, ac repente pravo usu abrogatis, ut Galli sumus, vidit deteriora ætas sequens, adeo, ut comitiis, a nobis nihil debitum dici possit, præter immensos sumptus, quos Gallia pro amplissimo cætu impendit. Necdum excefferat annus, cum jus annuum, cum officiorum forensium & militarium commercia, cum pensiones valere ut ante, prævalente apud omnes contemptu legum. Acta hæc exeunte anno millesimo sexcentesimo decimo quarto, & ineunte millesimo sexcentesimo decimo quinto, inutilis plane, versoque in contrarium effectu, Comitiorum convocatio fuit: haud dicere pigebit in transitu, non egere Galliam novis legibus, quas Regni Comititia, quas Reges dicant: quid enim aliud est leges constituere, statim pravo usu abrogandas, quam nomen Regium, quod præseserunt, habere in ludibrium? quos Auctores legum agnoscimus, iidem sæpe subversores sunt. Ordinationum volumina habemus ad nauseam & adhuc patimur leges quotidie novas, paucis sæpe remediis, & levioribus curabis morbum, quem multitudo procurat, & au-*



Sæc. XVII. get. Ita quæ tuemur legibus, per leges a-  
A. C. 1614. mittimus; qui cibus ingurgitatus, decessit  
 alimento; adeo moderatione valemus: certe  
 melius consuleretur Gallicæ, penuria legum,  
 quæ eo facilius observarentur, quo ple-  
 nius innotescerent. Legum molle obruitur  
 populus, anxioque in valentes, aut abro-  
 gatas iudicio, abdicat omnes; ut legibus  
 laborare dici possit, perinde ac malis.  
 Hæc ille.

## §. XLIX.

*Inutiles conatus Parisinæ Univer-  
 sitatis.*

*Calmet l. c.  
 Argentre  
 tom. 2. Col-  
 lect. jud,  
 pag. 94.*

Universitatem Parisinam a comitiis  
 fuisse exclusam, jam supra memi-  
 nimus, nihilominus tamen quædam Fa-  
 cultates, præcipue Artium, suas que-  
 relas congregatis Ordinibus exponere  
 meditabantur, hancque in rem plures  
 conficiebant libellos ad Ordinum comi-  
 tia deferendos. Verum Facultas Theo-  
 logica in Sorbonæ aula, habito con-  
 ventu die decima septima Decembris,  
 rebus utrinque mature ponderatis, cen-  
 suit, quod quidem Facultati artium  
 liberum esset, ut suo solo, non autem  
 Universitatis nomine præfatos libellos  
 porrigere valeat, illis tamen Facultas  
 theologica minime subscriberet, nec  
 ipsa pro se ejusmodi libellum confice-  
 ret,